



colorchecker CLASSIC




xrite



Thracia
Dimerzorum

17.

1289



XV^e s. n^o ~~1140~~

~~n^o 6309~~ 1289

- Cable dei mattoni contenute d'anni e volume
 1.° Christophori Richeri Chorignei de rebus turcarum libri
 quinque pagina 4.
 2.° Commentario dilectissime de turchi di Paulo jorio vescovo di
 nocera a Carlo quinto imp. auy pag. 65.
 3.° Laudivii equitis ad flammium Braltrandum in Epistola
 magni turchi prefatio pag. 108.
 4.° Gubelmi caordin obsidionis Rhodie urbis Descriptio pag. 131.
 5.° Chroue Guichardi Rhodie oratio super Rhodiorum oppugnatione
 et de ditione pag. 149.
 6.° Joan. Quintini pedis ad Sophum insulae Melitae descriptio
 pagina 161.
 7.° Sim. Pegnii Grinopi de foraticae desolatione oratio p. 174.
 8.° Mariani Barletti de obsidione scodrensi coniones variae
 a Memusette turcarum principe et ab aliis nisi critice
profectis compositae pag. 177.
 9.° Bellum scodrense pagina 249.
 10.° Vintiero Riagguggio del Succeso di Samagorta pagina 260.
 11.° Relation de la journal a succedi da alio pag. 264.
 12.° Copia di una lettera del sig. Secretario del illust. signore
pio andrea Doria con il voce disegno del Luogo doie e sequita
ragionata miglia topica lepanto. pag. 268.
 13.° Lettera del Clarissimo S. Girolamo Diedo all' illustrissimo
sig. marc antonio Barbaro nella quale e confida il monte
si descrive la gran battaglia navale pag. 272.



14. Alphonsi ~~patris~~ De federe e de Victoria contra
Lucas brevis enarratio pagina 303.
15. Johannis baptistae e Casarii De Victoria Christianorum
ad Chinadas oratio. pagina 314.
16. alla sacra maesta Del imperatore Rudolfo II.
Relatione di Mons. Gio Maria tagliaveri intorno
La presa di Gerasano con sue lettere pag. 322.
17. fedel Relatione mandata Dall illust. sig. Baldo
Di Cremona f. Oderando Vecchiotti pagina 332.



#

138p



ALFONSI SALNESII

DE FOEDERE ET DE
VICTORIA CONTRA TVRCAS.

AD ILLVSTREM ADMODVM

*et Reuerendissimum Dominum Antonium Mourino
de Pacos, Episcopum Pactensem.*



BREVIS ENARRATIO.



VENETIIS, APVD GABRIELEM
IOLITVM DE' FERRARIIS.
M D L X X I.

ALFONSI SALINESI

DE TORDERE ET DE

VICTORIA CONTRA TYRAN-

AND ILLUSTREM AD MODUM

et Reverendissimi Patris Thomae Aquinensis

de Prima Philosophia Tractatus

BREVIS ANALYTICUS

et hinc inde admodum

et hinc inde admodum

et hinc inde admodum

et hinc inde admodum

et hinc inde admodum

et hinc inde admodum

et hinc inde admodum

VENETIS, APUD GABRIEL

COLIVM DE FERARIIS

MDCXXI

304

ILLVSTRI ADMODVM
ET REVERENDISSIMO DOMINO SVO
EPISCOPO PACTENSI.

ALFONSVS SALNESIVS. S. P. D.



IRE OPTIMO QVI ALI-
quid in lucem edere contendunt (Re-
uerendissime Domine) Præstantis-
simis uiris dicare solent: ut aliquid
auctoritatis, et) favoris acquirant;
intelligentq; lectores, quicquam
scriptis latere memorabile. Cumq;
hæc de fœdere inter Sanctissimum Pium V. et) inuictum
Philippum secundum Hispaniarum Regem Catholicum, Cla-
rissimosq; Venetos composito: de que nauali uictoria à Sere-
nissimo D. Ioanne ab Austria ex Turcis parta ineunte mea
ætate edenda decreuerim; tibi dirigenda esse existimaui: ut
qui audaciam præbuit, alis errores protegat, cooperiatq; præ-
sertim cum ab infantia à te educatus ad hunc eloquentiæ (quæ
sentio quàm sit exiguus) gradum ascenderit: cuius fructus ti-
bi offerre, me operæ pretium facturum putauit. Quod cum ita
sit; te, quibus possum, deprecor flagitationibus; ut hæc inculta
carmina hilari animo suscipias, et) protegas: cum enim tuo ad-
hæserint nomini, decus subibunt immortale. Polliceor etenim
me tibi indies grauiora oblaturum. Vale. a ij



ALFONSI SALNESII
DE FOEDERE INTER PIVM V.
PONT. MAX.
ET PHILIPPVM HISPANIA-
rum Regem Catholicum, clarissimosq̄
Venetos in Turcas composito,
DIALOGVS.



PONTANVS, ET NINIBÆVS.



Hesperia dum Roma ferox la-
bentibus annis
Bella mouens Getica iaci-
bat tela pharetra,
Et trabeata suis gaudebat so-
la trophæis,
O Ninibæ: faces ardebant
inter utrasque.

Sed modo iam placidos secum componere uultus
Incipiuntq̄ nouas rerum sibi sumere formas.
Non ne recordaris uelut olim pila uolabant
Aduersum Hesperias animoso Marte phalanges?



*Vt quoque Dardaniae felix uictoria cecit?
Quam modo testantur factis rutilantibus arcus.*

NIN. *Præteriti repeto, Pontane, miserrima bella
Temporis, (heu misero) dum fata nefaria uoluo;
Mens, animusq; dolet. Quid enim nisi uera profari
Prodest? debuerant etenim concordia mitis,
Atque fides constans iungi: ne tanta periret
Gens Hispana ferox, nec non Romana propago.
Sed tandem tempus fugitiuum cuncta reuoluit:
Nam uideo positos sublimibus arcibus ignes;
Et uolitare focum rutilum super aera fuscum,
Festaque per uicos fieri clamante Senatu:
Ista dat hesperia decus immortale Philippus
Gaudia Pontifici summo. Tu talia narres,
Letitiæ tantæ cupias exponere causam.*

PON. *Regnant perpetuo contra fera regna tyranni
Bella Philippæis insignibus; atque minaci
Officiunt Turcæ CHRISTI rutilantibus armis.
Turcus atrox fidei nostræ seuisimus hostis
Pugnabat dubio crebro cum Marte Philippo.
Sed nunc tempus erit, quo barbara diruet arma
Hesperia dux altitonans, quo Bosphora tela
Rumpentur Scythicis paulatim clausa pharetris,*

Aut nigra iactantis penetrabunt uiscera Mauri.

NIN. *Quomodo (si nullus regnare potentior atro
Orbe potest Turca, qui, iungens agmina diris
Grandia militibus, sinuosum diruet orbem:
Qui, uelut horrendus Leo, nulla parcere praeda
Scit, uel iactandis qui gaudet saepe sagittis,
Gorgoneis qui tela iacit composta uenenis)
(concidet? o utinam tremefacta potentia princeps
Nunc eat; ut toto regnet pax inchyta mundo.*

PON. *Clariferos inter Venetos, scis, tempore nostro
Et rabidum Turcam satis impia foedera causa
Mercis erant: quae rumpit atrox sine lege tyrannus
Bella mouens. Quae forte forent primordia nostri
Magna mali, auxilium nisi duceret ampla potestas
Pontificis sacri, uel maximam cura Philippi.
Nam pater ille Dei princeps, qui sceptrum gubernat
Ecclesia, et Veneti quorum per culmina caeli
Fama refert nomen, uires, et regia facta:
Et Rex hesperiae celeberrimus ille Philippus,
Unanimes fiunt; ut possint fundere Turcam.
Dissociare potest hos Turca nulla potestas,
Stagnanti quanuis pelago discrimina tentent
Mille modis uarijs: Sed quid discrimina possunt*

Aduersus

*Aduersus CHRISTI uexillum? perclita fermè
 Restituet, durusq; uagis succumbet in undis
 Thrax, cernens ruptas pelago spumante triremes.
 Roma quid antiquos miraris grata triumphos?
 Tempa, theatra, domus, aurata palatia, pulchra
 Gesta ducum, regesq; tuos, et facta Quirini?
 Temne triumphales arcus, et culmina fama
 Grandia, considerans redeunt ut tempora regni
 Saturni, ueniuntq; Iouis iam sydera grata.*

*NIN. Lætitia premor (heu) nimia dum talia narras.
 Antiquos olim memini dixisse parentes,
 Deficiet compressa Boæ per bella potestas
 Ardua: et amplexu iungentur brachia firmo.*

*TON. Omne latus cæli rumpetur pondere lapsò,
 Igniferiq; cadent de summo culmine currus;
 Et super alta maris consistent æquora lati
 Sydera, et errabunt obscuris tecta tenebris:
 Et prius æthereos producere terra liquores
 Nollet, et obliquo decurrent tempora cursu;
 Quàm soluatur amor fidus, quo iungitur almus
 Christicola, aut periet spatiosi machina mundi.
 Orat dum supplex diuina mente Propheta
 Ille Deum, uincit: si desinit a: que precari*

Vincitur . est uirtus fortissima : Sic modo uincet
Hesperus , & Venetus coniuncto numine patris ,
Pontificisq̄ sacri . Iam nunc Hispania bellax
Barbariam uincet minimo pugnando labore .
O^a Nimibæ sacræ paulatim barbara regna
Ecclesiæ (sic alma uolunt nam numina CHRISTI .)
Parebunt . Nunc festa facit solennia Roma
Conspiciens quantam sibi det concordia sælix
Lætitiam , uel quanta ferat uictoria dulcis
Gaudia . (Nin .) Sic credo totum Pontane per orbem
Pestiferi tremefacta iacet prius ampla potestas
Turcæ , conspiciens diræ presagia mortis .

PON. O^a Nimibæ sacrûm iam nunc oracula Diuûm
Implentur ; quæ sacra refert scriptura , futurum
Cernunt euentum : fiet nam pastor , & unus
Grex , ac Idôlis Babylon truculenta peribit .

NIN. Nunc reddam grates tali pro munere CHRISTO
Iam siquidem properant firmissima pignora pacis .
Nunc uolo martigenûm Romanûm festa uidere :
Et ualeas Pontane , licet discedere nollem .

PON. I Nimibæ bonis auibus : lætiq̄ fruamur
O^a utinam tantis festis ; ut corda quiescant
Asiduo sæui belli defessa labore .

DIALOGI FINIS.



NAVALIS VICTORIAE
 A SERENISSIMO D. IOANNE
 AB AVSTRIA
 CLASSIS CHRISTIANÆ DV-
 ce Generali, ex Turcis parta,
 brevis enarratio.



ELA dedit postquam curvis Hi-
 spanicus heros
 Puppibus, Hesperie populosa la-
 bitur oris,
 Fluctisonum scindens eratis Ne
 rea rostris
 Oceanos quarendo lares: ubi car-
 basa Turca

Flata tenet, classemq, feram, uastando propinquas
 Christicolum terras, Oriens quas fluctibus ambit.
 lamq, per horrisonum pelagus dare uela triremes
 Curabant, Thetidisq, uagos in gurgite cano

b



Perlustrare sinus : donec qua littora uerno
Proxima sunt Zephyro linquunt , tanguntq; Trinacrim
Sicaniam ; calida iuxta quam Mulciber Aetna
Præparat arma Ioui . Siculo sic carbasa portu
Ad Mamertinos , classem componere causa
Consistunt , ubi miles erat generosior optans
Arma mouere truces in Turcas : et Venetorum
Insignes homines rostrata classe parati ,
Et fremebunda sacris Italum gens apta trophæis .
Omnis quo portu se præparat . Ac ubi quicquam
Ordine compositum fuerat , dant æquoris undis
Veliuolas proras : et tempestate serena
Itur ad Oceanum placidis spirantibus Euris .
Quæ postquam uidere sacri de gurgite Diui ,
Obstupere ; uelut cum Dardana cominus arma
Laomedontæi cernunt . subitoq; timore
Concussi fugere procul , domibusq; sacratis
Vulcani curant abscondi : bella parare
Optantes ducibus nostris , quod per mare latum
Audebant sic ire sacri sine numine Glauci .
Quos Neptunus amans belli , dominusq; minacis
Æquoris aspiciens fugientes , undique clamans
Accersit ; timidis quibus ardens talia dicit .

Credideram ,

Credideram, superi comites, vos numina uasti
 Esse maris: seuum tenuit mea dextra tridentem;
 Ardentes fluctus, et monstra marina gubernans:
 Vos etiam pelagi regere ardua claustra putau.
 Quod si uera profor; qua nam dementia uestros
 Perturbare potest animos, ut corda timore
 Urantur? patiemur enim, si numina ponti
 Sancta sumus, regnent alij? proh dedecus ingens?
 Num'ne rapi impune Diuorum scepra licebit?
 E' domibus proprijs uelli quis linquet in orbe?
 Externos homines nobis haec tollere claustra
 Linqumus? ^{nunc} et fugimus, cum nos uictoria certa
 Spectet? Fremebunda nigri soluantur Auerni
 Flumina, concurrant animoso Marte phalanges
 Undarum: qua quicquid aquis submergere possint.
 Undique latrantes dissoluas Aole uentos:
 Circius ora replens spiret resonante boatu,
 Vulturinusq; rapax, ac Auster fulmine pollens,
 Et Zephyrus linquens clementis nomina, contra
 Acres horrificus factus uomat ore superbo
 Flatus, et Boreas, dominus septemq; trionum
 Carbasa compellant nigrantibus undique uentis.
 Desine Glauce nigras iam pascere gurgite Phocas,

Et fias iterum tumidarum cultor aquarum,
Ut miseris uoluas contraria tela procellis.
Pisce sedens resona magno clangore tubarum
Per freta sustollens animos, & nomina Triton.
Et uos ceruleis uirides Nereides antris
Versantes pugnatæ: feros ut fluctibus hostes
Voluatis. Siculos habitantes uirginis instar
Syrenes scopulos, meliori carmina cantu
Concelebrate: uiros molli dulcedine cautes
Vertite, & æquoreis mergatis uallibus; olim
Ut socios Ithaci truncos fecistis V. lisis.

Hæc cum dicta forent, missa formidine belli,
Omnis in arma ruit: cæpit quoque quisquis adire
Mulciberum, qui tela daret. Quo tempore Pallas
Arripotens Aetna uersans, petit arma sonaci
Vulcano: quibus illa ducem decorare Ioannem
Austriacum flagrat. Quæ cernens ordine recto
Ire Deos in bella truces; Neptunia clamans
Numina flammiuomos oculis spirantibus ignes
Alloquitur, summo iactans de uertice cristas,
Iratasq; ferox tollens ad sidera uoces,
Talia facundo declamans ore profatur.

O Diui cur tanta sacras incendia mentes

Pertur-

307

Perturbant? gelidæq; premunt hæc pectora cura?
Quò ruitis? quò uestra uolant mauortia tela?
Cui breuiter Neptunus ait contendere causam:
Præcipuè ostendens, quanto percussa timore
Numina fugerunt amplas Iouialis ad ædes
Vulcani. cui pauca refert contraria Pallas.

Posse latère Deos nihilum quod in orbe, putaram,
Versatur: uos arma tamen sine lumine rerum
Accipitis, uultisq; sacrum de culmine Diuum
Dici, cum nullos sulcantes æquoris alti
Cognoscatis aquas; decepti bella parare
Curretis contra dominum; qui tollere quærit
Hostes, quos medio pelago discurrere cernit
Ut dominos. Clarum non uos cognoscitis illum
Hesperia regis fratrem? qui monstra domare
Desiderat Turca, dicentis cuncta creata
Submitti imperio proprio, dominumq; potentem
Esse caui pelagi? Venetos non cernitis urbis
Cultores placida, qui tollere sceptrâ furenti
Neptuno poterunt? Vobis hæc gloria Diui
Magna datur: pellant Hispanica tela furorem
Barbarici, qui sceptrâ Dei rectoris aquarum
Arripuit: uoluitq; maris metuendus in undis

Uersari, nihilo faciens sacra numina ponti.
Dicite, quæ preceps uestras insania mentes
Uersat? ut indomitum linquentes æquore Turcam
Accepto medio sese iactare triumpho:
Nunc contra placidos uentorum regis amicos
Arma mouere fero certantia Marte uelitis?
Nunc uobis, quas Turca ferox iam sustulit, ample
Restituentur opes Hispano uindice. Quod si
Hesperios animis contra pugnatis iniquis,
Non credam uos esse Deos. Mihi credite; Turcam
Uertite: securum cernetis tempore paruo
Pontum: quem dirus nunc possidet ille tyrannus.
Hæc ubi dicta dedit feruens tritonia Pallas:
Assensere Dei. Boreas tamen omnia contra
Sese facturum promittit: deserit atque
Ille Deos fugiens ad tetri littora Turca.
Sed Pallas comitata Deis citò peruenit ante
Hispani ducis aspectum: cui turba Deorum
Auxilium præstare parat: uenerando Ioannem
Austriacum, ueluti si numina fulgida Phœbi
Aspicerent: omnes ad sydera clara polorum
Extollendo manus clamant: Victoria certa
Est tibi: Turca ferox gelidis succumbet in undis.

Tunc

Tunc capiti Pallas galeam, clypeumq; sinistra
Imposuit, cæpitq; ducem componere nostrum
Armis, quæ dederat fumosa Mulciber Ætna.
Sed iam tempus erat pugna: Quo forte triremes
Ordine disposito ueniunt, certamen inire
Curantes. Sed pauca prius fortissimus heros
Militibus referens generosis talia dicit.

O' decus Hesperia: si quando tempore belli
Pugnastis, Turcas telis superando feroces;
Nunc magis, omne genus tementes mortis acerba,
Debetis pugnare sacri pro nomine CHRISTI,
Defendendo fidem, quam barbarus ille fatigat.
Nunc tempus pugna, quo quisquam nomina fame
Acquiret magni defendens regna Philippi.
Nam si uictores euadimus, omne subactum
Parebit nostro imperio: Si barbarâ contra
Agmina (quod dominus nollit) nos aequore rumpunt:
Perdidimus regnum cum nomine. Temnite mortem,
Ecclesia sancta pro numine tela mouentes:
Nam qui priuati fuerint uitalibus auris,
Æterne uiuent; et mortua corpora ponto
Restabunt, anima uerum cœlestia tangent
Sydera: et orbe boni remanebit gloria facti.

Vos Deus omnipotens ad cæli gaudia dulcis
Magna uocat, duro si pondere corporis huius
Exonerare parat, miserisq; educere terris
In regnum sine fine potens. Quò CHRISTVS amator,
Amplectens animas placida uirtute coruscas,
Iam uestros perduxit auos. Pugnate feroces:
Nam uobis dabit auxilium Deus arbiter æqui.
Vobiscum fertis dominum terræq; marisq;
Ast illis inimica fauent nunc Demonis arma.
Quod si Christicolæ uos uicti terga fugentes
Vertitis, an patrios speratis tempore paruo
Possè uidere lares, nisi captos? et) superatam
Hesperiam? totumq; orbem concurrere bellis?
Sed quoniam Fortuna uocat clamore superbo;
Ut tandem pugna soluamus tempora iustæ,
Et uos magnanimos uideo, delector abunde.
Hic iterum sauos hostes pater ille tremendus
Carolus aspexit: uerum tunc nolluit armis
Decertare, uidens quam sit Fortuna reuoluens,
Euentus dubios promittens: nunc tamen illa
Nobis affirmat clarum spectare triumphum
Possè. Quid est igitur quod possit pectora uestra
Perturbare? Quidem nobis uictoria certa est.

310
Vos mare longinquos claudit ; ne uertere terga
Positis : uos nulla salus manet undique septos .
Tempus adest , uestri quo premia magna laboris
Sumetis : nam Turca timet : dominusq̄ polorum
Submerget pelago cum tetra gente triremes .
Utmerso insignem Moysi Pharaone triumphum
Ille dedit , mergens falcatos æquore currus .
Orat pro uobis pugnantibus omne creatum :
Iamq̄ Pij Quinti Summi ieiunia Patris ,
Et sacra , placarunt iram clementis IESV .
Ro mani terra domini pelagiq̄ patentis ,
Atque Quirinales patres , gentesq̄ togata
Summi Pontificis iussu : qui sæderis huius
Aduersus Turcas pharetratos extitit auctor ,
Hic adsunt ; Quorum imperio quod lumine matris ,
Sol rutilus lustrat flammanti , paruit ampla .
Præterea Veneti cultores urbis aquosa :
Quorum si tantis Respublica mota procellis
Non esset , uariosq̄ daret Fortuna labores ;
Sola ualet Turcam bellis superare potentem .
Nunc partum pugnis alijs Romanus honorem
Ostendet : Venetusq̄ suæ fulgentia fama
Signa dabit pugnans . Italum gens undique bellax

Indomiti cordis decorabit nomina factis.

Tres sumus unanimes, quorum, si quisquis adiret

Hoc munus, solus pelago submergeret hostem.

Fortiter est igitur pugnandum; uel moriendum.

Tunc tacuit, rigidis uexilla minantia Turcis

Expandens. Quibus aspectis non paruula miles

Gaudia suscepit, promittens corde superbo

Tradere se pugna, quamuis discrimina tentet

Mille; licet morti mandetur tempore belli.

Tunc heros genibus flexis ueneratur adorans

Effigiem innocui referentem uulnera CHRISTI,

Quam uexilla tenent caelesti tincta colore.

Et sic exclamans ait. O moderator olympi

CHRISTE nitens: sancta bellis qui conteris hostes

Ecclesiae, tollens infandis regna tyrannis:

Nunc siquidem licite pugnamus, regia Turcae

Sceptra mari fundas; ut te sine fine bonorum

Laudemus dominum. Ne linquas quae sumus undis

Hunc mergi populum, propria quem morte parasti.

Auxiliare tuus: oculos conuerte precamur

In nos: nam quoties placidos ostendis ocellos,

Vincimus audaces hostes, laeti q̄ triumpho,

Collaudare tuum incipimus per secula nomen.

His

His dictis incensi animi dant signa trophæi
 Venturi: nam quisquis auct se tradere morti.
 Omnibus unus amor belli, licuitq; uadoso
 Fortunam tentare mari. Sic ordine miles
 Currentes animo inuictō prærupit in hostes.

Iamq; quiescebant undæ: cum quisque uidere
 Cæpit ab angusti uenientes arce triremes
 Læpanti, quærendo malum; quod manca pararat
 Fortuna. Ac ubi coniunctæ fuerant, cito cantant
 Classica: nam resonat strepitu taratantara magno.

Inter utraq; pari concurrunt marte triremes,
 Raucarunt subito motæ clangore tubarum.
 Atque prius crepitando ferox bombardæ sonabat
 Horrisono stridore ruens; rumpendo triremes,
 Et lacerando feros homines. Hic rupta triremis
 Viscera scissa tenens medijs demergitur undis.
 Ruptaq; ueliferi ceciderunt pondera mali;
 Combustæ proræq; cadunt, puppesq; recuræ.
 Tunc tonitru certare polos, uel in æthere nubes
 Credideram: labiq; sacro de culmine currus.

Sed Boreas curans promissis stare, iuuabat
 Principio Turcis, inflans currentia ponto
 Vela nigro: uerum comites cum uidit in atros

Ire hostes, subito linquit commercia Turca:
Et uenit ad nostros iam circiter arma mouentes.
Qui, postquam iuncti fuerant, sine mente timoris
Ad gladios uenere truces: hinc pila uolabant,
Et contra iaculis pugnabat certus, et arcu
Turca minax, scythicis iuxta pugnando sagittis.
Interea iuuenes fortissima tela gerentes
Pontibus exponit ualidis Hispanicus heros:
Ut quidam Turca ualeant superare recursus,
Per remos alij currant, uincantq; triremes,
Ingrediendo feris pugnent ut fortiter armis,
Turcarum mittantq; rubro nigra corpora ponto.
Impasti pisces lapsorum uulnera lambunt
In medijs undis: nam tunc Neptunus ad antra
Ceruleis portare facit, quae mortua lymphis
Corpora sunt: laniantq; auido discrimine pisces.
Protinus Austriacus iam tunc dux agmina Turca
Persequitur, ueluti nobis promiserat ante.
Intortis nam membra iacent pelago obruta telis
Maurorum: medium corpus transuerberat ictu
Cuspis acuta, rigens spumantia corda retorquet.
Non lorica moras, nec ferrea pectora praestant,
Ne rumpant calidi praecordia corporis enses.

Labitur

Labitur hic moriens , recidens super arma , cruorem
 Ore uomens . Hispana tamen clamoribus instant
 Agmina : dum cernunt meliori Marte triremes
 Vincere : nam pelagus tam multa cæde rubescit ,
 Nec non Turca tremens iacet obrutus undique telis .
 Sed nostri tandem supero iam Marte triumphum
 Ducentes , uictam retinebant æquore classem .
 Plures biscentum celeres rapuere triremes :
 Turcarum perijtq̃ ducum gens inclyta pugna .
 Quòd postquam uidit Lybica Carthaginis ille
 Perfidus euersor , nec non Algiricus atra
 Confugiens Rex mortis onus , maris ardua tentat
 Culmina cerulei : quem non potuere fugentem
 Rumpere . Nam nox alta ferens prænuincia somni
 Vergebat ; tristis chaos inscrutabile mortis .
 Et iam per duodena uehi Sol aureus astra
 Liquerat , igniferis consistens curribus , alta
 Sede ruens : tacita iam Luna lucida surgunt
 Cornua : cum nostri gaudentes Marte superbo
 Iunguntur , (res digna quide) per lata uideres
 Æquora Turcarum deuolui corpora tali
 Iuncta modo , ut nullus posset discernere pontum
 Inter collapsos Turcas . Quos turba Deorum

Ponto submergens in nigrum mittit auernum.

Summe Tater cæli, terra moderator, et undæ,
Quem tibi dant cælis tanto pro munere, terra
Detur honos: curent mortales reddere grates:
Iam siquidem cernunt charissima pignora pacis
Hostibus extinctis, tigres quos collibus atra
Hircanus aluere, silex genuitq; Sicamus.

Victor ouans propera, nam te capitolia Romæ
Condecorare uolunt, et laurea ponere ferta
Inuicto capiti: uelut post Gallica bella
Cæsar habet, ueteresq; duces Parnasia laurus
Ornauit, quorum uiridanti tempora ramo.
Fama erit Austriacæ toto celeberrima mundo
Hæc tua: nam te saxa uocant, et monstra potentem.
Et leo qui sensit ferratæ uulnera clauæ,
Amphitryomiadis, cernens te monstra domare,
Corruet ante pedes. Ardens Bellona timebit,
Marte sedente fores claudentur, reddet honores
Parthenope lætos ob nuncia grata quietis.
Namq; tibi Deus omnipotens, moderamine mundi
Unâ concedet post martia prælia claras
Cælorum penetrare domos, et fulgida claustra.


F I N I S.



[Faint, illegible handwriting]



[Faint, illegible handwriting]



The
Din





